



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 39. Ejusdem Regis prærogativæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

§. XXXIX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1598.*Ejusdem Regis prærogativæ.*

Ceterum hic Princeps erat tot animi, corporisque dotibus exornatus, ut posteris tanquam numeris omnibus absoluta regendi norma proponi mereatur; sublimi enim, ac sagaci ingenio præditus, passim Philippus prudens nominabatur, ad quietem quidem primæva naturæ propensione magis, quam ad arma proclivis, semper tamen in otio negotiû appetens, nec non in rebus gerendis adeo accuratus, atque indefessus, ut totum regiminis sui tempus gravissimis regnorum curis impendens frequentissime cum suis Consiliariis in Senatu versaretur: fuit equidem statura brevi, sed venusta, vultuque gravi, sed jucundo, adeo, ut ad suum colloquium admissos severa oris majestate ad reverentiam incitaret, sua autem morum comitate in variis necessitatibus occurrentibus fiduciam instillaret. Eminuit insuper incredibili erga Deum, Coelitesque, ac res sacras religione, cui justitiam nullo pacto violandam conjunxit, ac propterea semper publica officia non pro favorum mensura, sed pro meritis, ac cujuscunque dignitate distribuit, nec minus se solertem in cognoscendo, quam æquum in dispensando, exhibuit: fortunæ qui-

Gallut. l. c.
Thu. & Daniel ut supra
Spond. n. II.

Sæcul XVI
A.C 1598.

dem varietate vehementer jactabatur, nec tamen unquam ejus constantia rebus secundis nimium elevata, aut adversis labefactata est, unde ex ipsis calamitatibus tam propriis, quam alienis emolumentum captare gnarus dubitandi locum reliquit, an prosperis magis moderate usus, an vero in afflictis fortiter tolerandis magis invictus fuerit: licet enim suum imperium ad Asiam, & Africam protenderet, atque Insulas numero plurimas, & ambitu amplissimas, necnon Lusitaniæ Regnum sibi subiret, rebelles compesceret, ac Gallos duabus victoriis domaret, & communem Christiani nominis hostem apud Echindas Insulas gloriose debellaret, nihilominus in hoc solo gloriabatur, quod Religionem Catholicam propagandi, ac hæreticos reprimendi occasionem nactus fuerit: pari etiam moderatione, & equanimitate Belgii a regia ditione decepti defectionem, Goletæ, & Tunetani Regni jacturam, & præcipue inopinatam classis suæ dispersionem adeo constanter tolerabat, ut quasi per jocum diceret: *Se contra homines, non contra ventos, ac mare tam validam classem instruxisse.* Ceterum Philippus quatuor habebat conjuges, quarum primam nomine Mariam Joannis III. Lusitaniæ Regis Filiam anno Christi millesimo quingentesimo

tesimo quadragesimo quarto duxerat, at-
 que ex ea Carolum suscepit, de cujus
 obitu alibi mentio occurrebat, altera au-
 tem erat Maria Angliæ Regina anno sa-
 luti millesimo quingentesimo quinqu-
 gesimo quarto nupta, sed brevi mor-
 te absque liberis sublata. Tertia E-
 lisabetha Henrici II. Regis Filia anno
 millesimo quingentesimo sexagesimo de-
 sponsata Isabellam, & Catharinam ei pe-
 perit: quarta demum Anna Maximi-
 liani Cæsaris Filia decimo post anno Re-
 gi sociata est, ex qua præter quatuor
 liberos solus Philippus III. hæres reli-
 ctus est anno Domini millesimo quin-
 gentesimo septuagesimo octavo mense
 Junio natus,

Sæcul. XVI.
 A. C. 1598.

§. XL.

Hispaniæ Regis Testamentum.

Jam ante quadriennium, cum adhuc
 Mantuæ ageret, die septima Martii
 testamentum condidit, præceptorum
 gravitate, sententiarum pondere, rerum-
 que prudentia longe celeberrimum, in
 quo non modo providi Principis, sed
 potissimum veri Christiani partes exple-
 bat: præprimis enim Philippum Filium
 suum omnium Regnorum, ac ditionum
 suarum hæredem scripsit, ita, ut tunc, si is
 sine liberis decederet, Catharina, ejusque
 liberi succedant, his tamen deficienti-

Thu. l. c.
 Spond. hoc
 ann. n. 12.

Z 4 bus